


Per Arcum insuper SR, ipsi ferro tereti OH, de quo dixi, circa S peculiari iunctura insertum, centrum ad A situm una cum ipso Instrumento attollitur, deprimaturq; prout Stellarum Altitudo uel decliuitas postulat; firmaturq; cum lubet, in eodem Arcu per cochleam ab altera parte iuxta 9 adiunctam. Atq; sic per hęc omnia adeo multiforiter composita motionum diuersarum subsidia, Sextans ipse in planum quarumuis Stellarum, quamcumq; tandem dispositionem præ se ferant, dirigitur, ut intercapedo earum per ipsum rectius obtineatur. Verum hęc non tam facile uerbis exponuntur, quam ipso oculari intuitu & translatione debita percipiuntur.

Venio nunc ad alterum Instrumentum, quo in hoc Cometa Obseruando vsi sumus, Quadrantem videlicet Altitudinibus & Azimuthis simul capiendis idoneum, cuius formam & structuram sequens Figuratio ostendit, quam nunc exponemus.

Primum ipse Quadrans è solido optimoq; constans Orichalco effigiatur per ACB, estq; eius quantitatis ut à centro A ad circumferentiam CB ferme binos cubitos adæquet, habetq; dimidij quasi digiti crassitudinem. Diuisiones uero infra circumferentiam exhibet duplices, easdemq; minus uulgares, quarum extrema singulos totius Quadrantis gradus in senas particulas supra & infra distinguit, quæ rursus per alternatim ductas transversales lineolas, in dena æqualiter distantia puncta subdivisæ, singula minuta discriminatim exhibent. Ut uero hęc diuisio rectius dignoscatur, eam maiuscula delineatione hic exhibebimus.



Hanc graduum in singula minuta, & etiam horum (in maioribus præsertim Instrumentis) in dena scrupula secunda subdivisionem, in omnibus meis machinis Astronomicis usurpo, eo quod illam multis ab hinc annis exquisitissimam expertus sim. Licet enim eius Demonstratio in rectilineis Parallelogrammis proprie conueniat, nihilominus arcualibus etiam lineis, in tam exili interstitio, quod à recta linea insensibiliter differt, citra omne erroris uestigium conuenienter applicatur. Altera interior diuisio ad Clarissimi Mathematici Petri Nonnij in Libello de Crepusculis, Propositione tertia, imitationem, per plures Quadrantis Arcus introrsum descriptos, & diuersimodè subdivisos, procedit. Etsi autem in hac ipsa apprimè ingeniosa Nonnij inuentione aliquid auctuarij loco expeditius à nobis additum est, ita ut exterior Arcus in plurimas portiuunculas diuidatur, neq; is ordo aut numerus Arcuum sese introrsum concomitantium, quem ille præfinit, sed multo expeditior & perfectior obseruetur: tamen quia hęc subtilitas, cum ad praxin deicentum est, plus habeat laboris quam fructus, neq; id in recessu præstet, quod prima fronte pollicetur, ut alibi plenius ostendemus, idcirco apud nos dudum in usu esse desijt.